



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Feria IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

XI. *Vigeat Continentia*, quæ passio-
num impetus intra legitimos limites
contineat.

XII. Denique floreat *Castitas*, quæ
corpus & animam meam angelicâ puri-
tate sanctificet.

Ad extremum, O Jesu Arbor vitæ no-
bilissima, per gratiam hujus Sacramenti
fructiferi clementer indulge, ut fructus
hi omnes, quos in me producere dignaberis,
sani sint, recentes, diuturni ac copiosi
quibus salus renovatio, ac reformatio spiri-
tus mei constanter ad finem usque
conservetur & augeatur. Amen.

FERIA IV.

*Orationes pro obtinendis virtutibus
veluti dispositionibus ad gratias
gratis datas.*

I.

Domine Jesu Christe, potens opere &
sermone; tu posuisti olim in Ecclesia
tua primùm quidem Apostolos, secundùm
Prophetas, tertio Doctores, deinde Vir-
tutes & gratias curationum, cæterasque
dividens singulis pro beneplacito: nunc
quid hodie dum manus tua abbreviata est

aut non indiget Ecclesia tua, jam satis radicata, irrigatione hac? Ecce Domine, Regna integra & Provinciæ millionibus infidelium & Hæreticorum scatent. Selige, obsecro, & mitte viros Apostolicos ad gentes hæc convulsas & dilaceratas ne in opprobrium tuum Infernus animabus damnatis ultrà oppleatur. O si indignus ego inter præcones istos, & gloriæ tuæ instrumenta recenseri merear! Evehe me quæso cum aliis plurimis ad tam præcellentem virtutem & humilitatem ut dignus efficiar cui animarum zelum, & gratias nonnullas gratis datas ad conversionem fidelium & infidelium, absque damno meo communices.

I I.

NEverò, Salvator mi, horum donorum præcellentia, occasionem vanitatis & ruinæ præbeat, mitte Spiritum Sanctum tuum de cœlis, qui in omnibus nos dirigat; & totum hoc ædificium, ut sapiens Architectus super firmam Petram non more Diaboli super arenam mobilem fundet. Solidet inquam illud in perfecta tui imitatione & omnium vanita-

N 6

tuum

tum ac visibilibus contemptu. O divine Spiritus, jamjam ad me in Sacramento cum Patre & Filio venture; pone te prius ut signaculum super cor meum, cœlestes ei virtutes imprimens, ac postea etiam ut signaculum super brachium, ad opera heroica fortitudinem tribuens. Absconde prius ignem divini Amoris in sinu meo per efficaciam sanctissimi Sacramenti; ut post inde prodeat ac vestimenta ardeant & luceant. Ne velut statua Nabuchodonosoris, luteis pedibus, tentatione irruente, corruam & comminuar.

III.

O Ignis qui semper ardes & nunquam extingueris! activâ Eucharistiæ virtute consume in me vitiorum scoriam, ut luceam clariùs & luculentiùs ardeam. Impelle me prius ad peragendum cum extrema perfectione & fervore ordinaria; ac postmodum, si ad gloriam tuam conduxerit, eleva me ad singularia, tam quoad interiora orationis & contemplationis domina, quàm ad externa vitæ activæ opera: ut hac ratione gratiæ tuæ efficaciam, sapientiæ sublimitatē, & omnipotentiae magnitudinem in me demonstres. IV.

I V.

O Divine Spiritus! qui primis Christianis tam sublimem vitæ perfectionem inspirasti, eosdemque ad illam assequendam adjuvisti; præcellas hasce Christiano & vel maximè Sacerdote dignas Virtutes cordi meo inferere. Communica mihi fidem adeò certam, ut Mysteria divina tam firmiter credam, ac si oculis cernerem. Largire spem adeò securam, ut promissa divina ita sperem, ac si illam possiderem. Tribue mihi fiduciam adeò firmam in oratione, ut quod aliàs est ex mera gratia tam constanter ac firmiter petam, atque si esset debitum ex iustitia. Concede Obedientiam adeò promptam in rebus arduis ac difficillimis, atque si facillimæ essent & jucundæ. Præbe pœnitentiam adeò invictam, ut magno animo labores quoscunque tolerem, aliàs intolerabiles. Imprime cordi meo effusam misericordiam, succende animarum zelum infatigabilem & charitatem amore tui omnia sustinentem, etiam tormenta & martyrium.

N 7

FERIA